


224

F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22

~~Q. Libr. C. 6. 97~~

BW 224  
F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22

F A S C I C U L U S  
Disputationum Theologicarum  
D E  
S O C I N I A N I S M O.

*Quibus istius Religionis fucus detegitur,  
methodia & πλάνη ostenditur & idea  
Theologie hujus breviter adumbratur*

Authore & Praeside,


*Reverendo, Clarissimo, Doctissimoque Viro,*

D. ABRAHAMO HEIDANO

SS. Theol. Doct. ejusdemque Facultatis  
in Almā Bat. Acad. Professore or-  
dinario, Ecclesiæque Dei Pastore  
disertissimo, vigilantissimo.



LUGDUNI BATAVORUM  
Apud HENRICUM VERBIEST, 1659






DISPUTATIO THEOLOGICA,  
PRIMA.

DE  
SOCINIANISMO

*Respondente*  
NICOLAO MASSIS, D. F. Graviense;

THEISIS I.



Apienter Apo-  
stolus, I Cor. II.

I9. Oportet hæ-  
reses inter vos es-  
se , ut qui proba-  
ti sunt , manifesti-  
fiant inter vos.

Ut non mirari

nos oporteat super hæreses istas : sive  
quia sunt; futura enim prænunciantur:  
sive quia fidem quorundam subver-  
tunt; ad hoc enim sunt, ut fides haben-  
do temptationem , habeat etiam proba-  
tionem. Cum enim quid sortitum est,

A 2

omni-

omnimodo sit, causam accipit ob  
quam sit, & hæc vim consequitur per  
quam sit, ne esse non possit. Est enim  
hæresis quoque ex earum rerum gene-  
re, quæ dum sunt, habent posse, &  
dum possunt, habent esse. Tertull. de  
præscript. Hæret. c. I.

2. Tanti vero est apud Deum pro-  
batos agnosci filios ejus, ut melius sit  
illos per hæreses explorari, quam has  
omnino non esse. Sic enim datur illis,  
dum per ambigua & dubia sunt elu-  
ctati, sibi occurrere in unitatem fidei, Ε  
γνitionis filii Dei, in virum perfectum,  
εις μέτεον ἡλίκιας τὸ μαρτύριον τὸ χειστό.  
Ut ne sint amplius, νήσοι, κλυδωνίζοντο ἢ  
ἀειφερόντοι πάντι αὐτέμ τὸ διδασκαλίας τὸ  
τῆκυλεία τὰ δρόπωπα, την παρηγία, τεῖς τὸ  
μεδοδείας τὸ μάριν. Eph. 4. 13. 14.

3. Sunt autem Hæreses, definitore  
Tertulliano, nihil aliud, quam doctrinæ  
hominum Εδεινiorum, prurientibus  
auribus natae de ingenio sapientis secu-  
laris. Quæ affectatrix & interpolatrix  
veritatis, & ipsa quoque in suas hære-  
ses

fes multipartita varietatē sectarum in-  
vicem repugnantium scissa, temeraria  
interpretes est divinæ naturæ & disposi-  
tionis. Unde & pleræque hæreses à  
Philosophia subornantur. Quod opti-  
me observans *Apostolus*, nominatim  
Philosophiam contestatur caveri o-  
portere, scribens ad *Colossenses* cap. 2.  
8. Βλέπετε μή ποιεῖτε τούτων οὐλαζωγῶν θεο-  
τοκισμοῖς καὶ κενῆσι τάπις, κατὰ τὴν παρθέ-  
σοῦντα ἐπώπιον, γαλατὰ στιχεῖα τὸ κόσμον,  
καὶ γαλατὰ χεισὸν.

4. Quo loco *Apostolus* omnium  
falsarum religionum formas ad tres  
species revocat. Prima est, quæ ex spe-  
culationibus curiosis, & tamen recon-  
ditæ cujusdam sapientiæ speciem, ha-  
bentibus, orirut: cujusmodi est *αὐτο-λαζεῖα*, ex *Trismegisti*, *Platonis*, *Plotini*  
*Porphyrii*, *Famblichi*, & similiūm com-  
mentis extracta, ad quod etiam genus  
referenda est maxima Scholasticæ ma-  
tæologiæ pars, quæ Euangeliū cum  
plurimis *Aristotelis*, *Averrois* & simi-  
liūm placitis perimiscet. Alteram vocat

A 3

Apo-

Apostolus traditionem hominum, quæ tota est humanæ vanitatis partus, tota videlicet inanis ac manifeste superstitionis, sita in rebus externis, & plerumque etiam aperte stultis ac ineptis, sola nitens consuetudine, & fictis Enthusiasmis, accedente postea Dæmonum efficacia: cujusmodi est fere totus Papisticus cultus, ac præsertim Monastica illa perfectio, quam vocant. Tertia species tum erat illorum, qui Judaïsum ( quem vocat Apostolus Elementa mundi, i. Mosaicos titus ) cum Christianismo temperabant, à quibus etiam orta est magna ceremoniarum Papisticarum pars; veteribus Episcopis ista Pauli verba non satis attentes considerantibus. Ut verè Beza in hunc locum.

5. Harum hærefium secundus omni tempore fuit proventus, & qui rem Christianam ab incunabulis suis afflixit, & ne incrementa caperet, impediit. Maxime vero in initiis nascientis Ecclesiæ, oppugnata fuit Christi  
tum

tum divinitas ab *Ebione*, *Cerintho*, & postea ab *Ario*, *Samosateno*, *Photino*, &c. tum *humanitas* ab *Apollinari*, *Nestorio*, *Eutychete*, & primatius fidei articulus quassatus & concussus fuit. Postea à capite ad corpus opus ductum est à *Pelagio*, qui incorruptas homini vires etiam post lapsum astruens, & liberi arbitrii usum integrum concedens, innataui superbiam valde adauxit, & communem errorem convertit in peculiarem hæresim. Quæ naturæ patrocinium suum commodans, tantum gratiæ detrahit, quantum naturæ tribuit.

6. Ab illo tempore adulteratus Christianismus, in Ethnicismum vel Judaismum transiit: vel ad summum non nisi Semi-Christianismi formam retinuit. Unde paulatim nihil sani in toto corpore remansit: atque ita ortum habuit Anti-Christianismus, qui ex Ethnicismo & Judaismo conflatus nihil aliud est, quam informe chaos, & diversum panthera genus confusa camelō.

A 4

7. Ita

7. Ita afflictâ Ecclesiâ , cum non aliud remedium superesset, quam reformatio ejus in capite & membris : quo tam laudabile opus interturbaretur, Satanæ astus fuit, primo ne serio id tentaretur operam dare. Cui rei conatus illorum valde profuit, qui pio affe&tu secessionem ab Ecclesia horrentes, inutilibus & nil profututis remediis rem agendam consulebant, quo schisma, quod inde oriturum providebant, præverterent.

8. Sed cum malum hoc pacto sanari non posset, multo minus tolli, & jugi intolerandi impatiens esset populus Christianus , & veritatis Euangelicæ lux oriens tenebris misceri amplius renuereret, & jam tempus appeteret, quo retegi debebat filius perditionis, atque ita Reformatio Ecclesiæ, qualis fieri inter tot impedimenta poterat, differri amplius non posset : Majori molimine id egit Diabolus, ut vel nascens Euangelium in herba opprimeret, excitatis contra ejus autores & professores sævissimis

vissimis persecutionibus: vel, cum ha c  
non succederet, reformationem ipsam  
convelleret, adeoque suspectam & in-  
utilem redderet.

9. Quod mito artificio procuravit.  
Statim enim in initio reformationis fa-  
naticum genus hominum exortum, qui  
libertatis dulci nomine inescati, omne  
obedientiæ jugum excusserunt, legum  
& Magistratus omnem reverentiam  
fusculerint, & libertatem quam Euangeli-  
um docet in licentiam carnis ver-  
terunt, & spirituale Christi regnum,  
quasi hoc ipso oppositum regnis & Mo-  
narchiis mundi, in eversionem omnis  
temporalis Dominatus extulerunt.  
Quo non tantum ingens terum pertur-  
batio, & magna scandalorum seges  
exorta, sed & profectus Euangelii in-  
tercisus, cum Euangilio imputaten-  
tur illæ turbæ, quæ illi evertendo &  
corrumpendo tantum comparatæ er-  
rant.

10. Non hic stetit impetus. Licet  
enim Papatus reformationem necessa-

xiam judicarent, quotquot ex Scripturis de iis rebus pronunciandum censebant: Alii tamen hic in excessu peccatum à primis reformatoribus mürmurabant: & simul cum erroribus & ritibus rejectis, multa nigro theta in Ecclesia Romana notata, quæ conservari, aut saltem tolerari consultius fuisset, vel saltem non statim damnari expediisset. Qua in re Erasmi & Cassandri potissimum labor versatus est, qui dum leviora quædam reformati optant, præcipuos Ecclesiarum Rom: nævos dissimulant aut transiliunt. Unde & factum ut in quibusdam Ecclesiis, ut in Anglicana præsertim patet, non simul cum reformatione doctrinæ, ordo immutatus sit, sed Hierarchia & Episcopatus, qualis in Papatu ex parte cernitur, retenta sint.

II. Alii hic defectum causari, & multo plura exturbari debuisse, quam factum sit. Quod eo usque extenderunt quidam, ut Trinitatis mysterium, seu Anti-Christianum dogma de gradu de-

du dejici, similiter Pædobaptismum ex Ecclesia eliminari, ceu Anti-Christi characterem, voluerint, &c.

12. Quin eo profecit quorundam *auθαδεια*, ut reformationem eo nomine suggillare ausi sint, quod non qua parte fieri illam oportuit, tentata sit. Cum quidam non illam tantopere circa fidem, quæ illis non magnopere necessaria visa est, quam circa charitatem occupari debuisse putarint. Unde monstrosi illi pattus *Davidis Georgii*, & *Henrici Nicolai*, *Patris*, ut vulgo celebratur, *domus charitatis*, qui dum charitatem tantopere commendant, circa fidem ~~et~~ *euαγνωστης*.

13. Tandem oculatior, ut sibi quidem visus est, his omnibus *Lælius Socinus Senensis*, *Patruus Fausti Socini*, cum preter pauca quædam, ea videlicet, quæ ad salutem prorsus sunt necessaria, nihil fere in Ecclesiis, quæ Romanum Anti-Christum execrantur, post tantas tamque diuturnas tenebras, suæ pristinæ claritatè restitutum videret, (uti de eo testatur

A 6

Faust.

Faustus Socinus, in priore fragmento duorum scriptorum, pag. 5. ) majus scilicet opus moliri annis est, quod postea ex mente ejus, vestigiis ejus insistens Faustus, perfecit, & novam quandam reformationem Orbi propinavit, & universam Theologiam, nova inducta forma, innovavit.

I 4. Quam his Encomiis exornat:  
Eques quidam Polonus in dissert, quam F. Socini operibus framitti voluit: quod per eam strata m atque expeditam habemus viam ad supremam beatitudinem (quæ est Sociniana Christianæ Religionis ætæcæsis) quam per plura annorum millia ante adventum Christi humanum genus semper desiderarit, semper ignorarit, quam ipsi Mosaicæ legis cultores pertenui aliquando suspicione odrati nunquam aperte deprehendere potuerint, quam denique à Christo Apostolis patefactam, mox succrescentium errorum spinis obsitam, atque dira obruente caligine abditam, rursus exalto fabularum senticeto, ac redditâ veritatis luce beni-

benignissimus Deus ( opera scil. & ministerio F. Socini ) detexerit atque restituuerit.

15. Hic pes figendus , ut ideam quandam Theologię Socianę efformemus. Primo, cuin nec in Papismo extaret illa via qua ad immortalitatem perveniri potest : neque ab iis, qui reformationem Papatus aggressi sunt, illa animadversa sit aut detecta ; Quid aliud restabat quam ut illam à *Lelio* & *Fausto* doceretur mundus? Qui scilicet illud, in quo omnes hactenus cæcutierunt, in luce posuerunt. Periclitabatur nimirum de salute sua populus Christianus, nisi *Socinus* hic suppetias tulisset. Quis tantum bonum Senis expectasset?

16. Namque illa revelatio , quam expedita via ad supremam beatitudinem monstratur, quamque per tot annorum millia ante adventum Christi genus humanum semper desideravit, semper ignoravit, quæque maximam partem populi Dei sub legelatuit; vel

est

est illa via , fine cuius cognitione nemo salutis compos evadere queat: vel etiam sine ejus exerta cognitione constat salus, & alia via ad immortalitatem perveniri potest. Si primum dicatur magna invidia creatur φιλαυθεός τῷ Deo, qui tantum sapientiae thesaurum , tot secula genus humanum vel celaverit, vel ita involverit, ut ne quidem ab iis quibus revelatus fuit, unquam aperte deprehendi potuerit. Ut certe nullum admodum vel exiguum oporteat esse πέντε διάβολον illud Judæi & circumcisionis , quod ceu primarium illis tribuitur ὅπερ επιστολὴ Αποκ. τὰ λόγια Γεράσ. Rom. 3. 1. 2. & 9. vide & Deut. 4. 6. 7. 8. & Ps. 147. 19. 20. Quid interea tot gentium myriadibus factum : an illæ omnes destitutæ hac salutari via, de salute periclitatae sunt? Et cum illius revelatio soli Socino vendicatur , quid ? An ergo extra Socinianismum nulla spes salutis ? Beatum ergo oportet esse illum Poloniæ angulum , cui tanta repente lux oborta est.

16. Quin-

17. *Quin & clarius multo & expeditius hanc viam à Socino propositam, quam à Christo & Apostolis unquam patefacta fuit, inde liquet, quod eam è scriptis Apostolicis nunquam quis eruat, nisi Socini præjudiciis mentem imbutam afferat.* Neque viam hanc assequi possit, nisi in aliud Euangeliū transferri se patiatur. *Quod inde etiam patet quod lux hæc à Christo & Apostolis excitata, tam repente & mox evanuerit, neque nisi Socini opera post tot secula reducta sit, & humano generi donata.* Ut videatur major Mose, Christo & Apostolis doctor *Socinus* mundo affulsiſſe.

18. *Quod si hæc via talis est, ut sine ejus explicita cognitione tamen homini salus constare possit: profecto quid opus est eam tam grandibus verbis exornare? Aut quid omnino opus fuit Socino?* Nisi forte in eo consistat ejus nova revelatio, quod faciliorem & expeditiorem salutis conficiendæ methodum attulerit, qua viam ante falbrosam

lebrosam & horridam nobis complanaverit, ut per illam incedentes tutius & citius & facilius ad metam æternæ salutis perveniamus. Quia in re an illi fides adhibenda sit, antea dispiciendum foret. Et tamen nisi hanc illi viæ prærogativam asserat, quid proprius est, quam ut inter humani ingenii curiositates censeatur quæ magis logomachias gignat, quam edificationem Dei?

19. Sed quo hujus, ut sibi quidem videtur, Prophetæ novam revelationem, qua instar novi Muhammedis orbi novus docto[r] apparuit, rectius percipiamus, utile erit institutum ejus, & scopum, quem sibi præstruxit, sub incudem revocare: ut inde velut in tabella ob oculos cerni possit hujus Theologiae quidam typus & idea, & qua *μιδοδείᾳ τονάρι* progressus fecerit.

20. Ut enim *στόργα* illa *πατρώη*, ut Petrus illa insinuit 2 Pet. 2. v. 18. omittamus, quid quæso hæc nova Theologia præceteris affert, quo caput extollat, & omnes prægravet?

Sanc

Sane si in intima ejus inspiciamus, illamque, ut oportet, evisceremus, statim apparebit cuivis qui præjudiciis occæcatus non est, aliud eam nihil esse, quam rationis summa lusum, natum de ingenio sapientiæ secularis, & Theologiæ naturalis emendatiorem typum. Mysterii pietatis emasculacionem, & Christianismi infelix struprum: quæ in summa aliud nil contineat præter Ethicam Christianam, eamque valde informem. Cujus  $\tau\circ\tau\acute{\iota}\acute{\eta}\nu\acute{\alpha}\acute{\iota}\acute{\alpha}\acute{\iota}$  non constituat Christus, utpote qui salutis & immortalitatis hujus non sit autor & acquisitor, sed tantum confirmator & Exemplum, cum sine illo & per alium omnia quæ ad salutem faciunt, procurati potuerint. Imo si propius eam intueamur, patebit aliud nihil esse, quam Paganismum, Judaismum, Turcismum, teotorio Christianismi obdutum, & ita comparatum, ut omnium hæresium & sectarum possit esse receptaculum, & in quam omnes sectæ, recentis erroribus suis, conspirare possint,

hant, & coire. Ac in eo singulariter conspicabilem, quod nova & inaudita hactenus scripruram interpretandi methodo, verum ejus sensum elidat & perimat, dum quæ in ea continentur ita extenuat ut simul abscondat, & quæ non habet, miris fidiculis ex ea exprimat & eliciat. Quod vere est τὸ κρίτονα λόγον ἡττω ποιῶν, ὃ τὴν ἡττὴν αρεῖτον.

21. Ex qua Theologiæ hujus cœ-  
piæ obiter constat, anguste nimis &  
tenuiter de illa judicasse, qui Photi-  
nianismi limitibus illam circumscri-  
bunt, quasi nihil aliud sit, quam inter-  
polatus Photianismus. Est enim ille e-  
xigua tantum vestis hujus lacinia, in il-  
lum tantum finem à Socino ascitus, ut  
Monarchiam Dei astruendo, viam sibi  
sterneret ad conciliandas sibi omnes  
sectas, quæ Trinitatem contra reforma-  
tos abhorrent, & ut Ethnicis, Judæis,  
& Muhammedanis aditum pararet ad  
amplectendam religionem Christia-  
nam, quam non nisi meliore sui parte  
castra-

astratam gratam illis fore sibi persua-  
it. Sed revera nihil aliud sibi voluit,  
quam novam & à se excogitatum im-  
mortalitatis viam pandere, eamque  
mortaliū generi præ ceteris commen-  
tare. Quæ ut à nullo mortalium repu-  
liari posset, & omnibus in universum  
quocunque errore & hæresi infectis  
esset accommodata, ut placere pos-  
set, necesse habuit, vel ipse se in erro-  
rum istorum laqueos induere, vel sal-  
tem eos in aliis tolerare, & in omnibus  
coletabiles sciscere.

22. Ut hinc sequatur, religionem  
Christianam statim ab excessu Aposto-  
lorum ingentem veritatis Eclipsin pas-  
sam, quæ usque ad *Socini* tempora du-  
raverit: ita ut viâ salutis ignoratâ, sicut  
populus sic sacerdos cimmeriis tene-  
bris immersus jacuerit, quas ante hujus  
Prophetæ adventum superare non po-  
tuerit. Quinimo omnes Ecclesiæ Pa-  
tres vero scripturæ intellectu destitu-  
tos, miserandum in morem ad unum  
omnes delirasse, & instar vespertilio-

num

num ad lucem solis cæcutiisse. Ut, verbi gratia, ante *Lælium* mundo ostensum, nemo, quis primi capituli Euangelii Johannis sensus esset, comprehendere potuerit. Quasi præcipuum illud sit Christianismi sphalma, quod nimium Christo tribuat, & in illo omnes spes suas sibi reponat. Ut si aliquam viguisse intermedio illo tempore religionis intelligentiam vetum sit, necesse sit priorem illam reperram inter Ethnicos, Judæos & Muhammedanos, quam inter Christianos: qui saltem rectius de Deo senserint, & melius naturæ lumine usi sint, & veriores de Dei cultu sententias foverint, quam ipsi Christiani. Ut aut valde felicem hunc doctorem esse oportuerit, cui talis præ aliis revelatio contigit, aut certe, quod proprius est vero, impostorem omnium qui in seducendo mundo operam tribuerint, maximum.

23. Restabat, ut per singula iremus, & illa suis momentis expendemus: sed quia in nimis magnam illa molem

U nolem ex crescerent, malum illa se-  
quentibus diatribis feservare.

---

DISPUTATIO THEOLOCIGA,  
SECUNDA.

D E

S O C I N I A N I S M O ,

*Respondente*

SERVATIO HENRICI Medioburg. zel.

T H E S I S . I.

**N**on potuit tanta immutatio do-  
ctrinæ in religionem Christia-  
nam invehi, quâ tota ejus facies  
inverteretur, sine novorum principio-  
um substructione. Quia enim nova  
via salutis, quæ hactenus mortales la-  
uit, ostentatur, novam quoque in-  
dagandæ ejus rationem & methodum  
præscribi oportuit.

2. Cum enim duplex sit perve-  
niendi ad veritatem via; una per fi-  
dem, quæ solo verbo innititur, alia  
per rationem: unice id cavendum in  
rebus

rebus divinis, & quæ sola tevelatione  
innotescunt, ne fidei contemnentes  
initium, immaturo & perverso rationis  
amore fallamur: ut ne in illorum ho-  
minum vanitatem incidamus, qui ni-  
mis in hæc corporalia progressi atque  
lapsi, nihil aliud putant esse, quam  
quod istis quinque notissimis nunciis  
corporis sentiunt: & quas ab his plagas  
atque imagines acceperunt, eas fe-  
cum volvunt, etiam cum conantur re-  
cedere à sensibus: & ex earum morti-  
fera & fallacissima regula, ineffabilia  
veritatis penetralia rectissime metiri  
se putant, ut recte Aug. de utilitate  
credendi cap. I.

3. Neve etiam quæ natura huma-  
ni ingenii, & diligentiae vivacitate,  
vel artis adjutorio percepimus, ad res  
incorporeas & spiritales transferre co-  
nemur, ut secundum illas has metia-  
munt aut concipiamus, neve etiam uni-  
versam naturam conantes transcende-  
re, præsumtiones opinionum nostra-  
rum audacius affirmando, Deo impu-  
temus,

temus, atque ita nobis intercludamus intelligentiæ vias.

4. Cum enim fidei sit rationi præscribere, & id facere, ut ne sit opus ratione: in contrarium evenit, ut ratio præscribat fidei, & fidem de loco moveat. Cum rationis sit, etiam nulla ratione redditia Deo credere. Cui si credas, cur ergo rationem requiris, quæ efficere possit ut non credas. Si rationem requiris, & quærendum putas, ergo non credis: ideo enim quæris, ut sequaris cum inveneris.

5. Ut certe ratione sua abuti convincantur, quicunque hac in parte nimis rationales videri volunt. Qua in re jure merito litem intentamus *Sociniano* & sectariis ejus, qui principium Religionis & Theologiæ rationem constituentes, & scripturæ eam præponentes, non nisi in hujus dedecus & depressionem, illam tantopere extollere & exornare comperiuntur.

6. Licet enim quandoque videri nolint rationi humanæ nimium tribuere,

buere, quod veræ voces etiam quandoque ab invitatis pectoribus erumpant: tamen cum rem ipsam sine ambagibus eloquuntur, & domesticum sensum produnt, ita instituunt: *Id nullo modo verum esse posse, cui ratio prorsus, communisque sensus repugnet: adeo ut si id scriptura asserat, non tamen credendum sit, quod ratio contra militet. Iude de nati hi Socini flosculi, libello de officio hominis Christiani, pag. 33. Dogma de Trinitate ob id rejicitur, quoniam cum ipso sensu communi manifeste pugnat.*

“ 7. Idque eo usque extendit *Socinus* lib. de Servatore parte IIII.  
“ c. 6. ut his verbis loqui non dubes-  
“ cat: Ego quidem etiamsi non semel,  
“ sed saepè id in S. monumentis scri-  
“ ptum extaret ( nim. Christum pro  
“ peccatis nostris Deo satisfecisse )  
“ non idcirco tamen ita rem prorsus se-  
“ habere crederem, ut vos opinamini.  
“ Cum ea quæ fieri non posse aperte  
“ constat, divinis etiam oraculis ea  
fuisse

“fuisse in speciem diserte attestanti-  
“bus, nequaquam admittantur, & id-  
“circo sacra verba in alium sensum  
“quam ipsa sonant per inusitatos e-  
“tiam tropos quandoque explican-  
“tur. Et *parte III. c. 4.* rejecta gene-  
“rali ista probandi ratione, qua scil.  
eum, qui dixit, ejusmodi esse appareat,  
ut nulla in re mentiri possit; singula-  
rem hanc requirit, qua id nominatim,  
“quod comprobandum est, per cau-  
“fas aut effecta propria ita se habere  
“demonstret, adeo ut non modo quia  
“Deum dixisse appareat, id verum esse  
“conster: sed etiam quia verum esse  
“appareat, id Deum dixisse, nobis,  
“sicut facere jubemur, certo persua-  
“deamus.

8. Quibus succinit *Smalcianus*, ita  
loquens *Homilia 8. in c. I. Johannis*  
“Quod credimus, etiamsi non semel  
“atque iterum, sed satis crebro & di-  
“fertissime scriptum extaret Deum es-  
“se hominem factum, multo satius  
“esse, quia haec res sit absurdum, & fa-

B

næ ra-

“næ rationi planè contraria, & in Deū  
“blasphema, modum aliquem dicendi  
“communisci, quo ista de Deo dici pos-  
“sint, quam ista simpliciter ita ut verba  
“sonant, intelligere: & ita sanctissimam  
“Jesu Christi religionem pro turpissi-  
“ma omnibus ridicendam exponere.

9. Ex quibus haud obscure hic pro-  
cessus Theologiæ Socinianæ longe  
perversissimus colligitur: Eos id solum  
quod verum appareat Rationi & per  
causas & effecta propria ita se habere  
demonstrari possit, credere, Deum ip-  
sum dixisse, & in verbo revelasse. Quæ  
verò rationi non apparent vera esse,  
neque per causas & effecta propria ita  
se habere demonstrari possunt, etiamsi  
Deum ipsum dixisse appareat, nondum  
satis vera existimare: imo vero si fieri  
non posse aperte rationi humanæ con-  
stet, ea, utut sæpe in S. Literis scripta  
extēt, & facta fuisse diserte prohibe an-  
tur, ac ubique clarissimis verbis testata  
reperiantur, nequaquam admittenda  
vel credenda, sed potius in aliud sen-  
sum,

sam, etiam per inusitatos tropos infle-  
tenda esse statuere. Quod certo ni-  
bil aliud est, quam rationem scripturæ  
præferre, & sensum revelationi præpo-  
nere & opponere, & verbo Dei vim  
facere, & sensum ejus, qui per verba  
ad animos nostros venit, vero suo in-  
tellectu spoliare, ut quod dicitur, quasi  
non dictum habeatur, & quod non di-  
citur, illi affingatur.

10. Idque ipsa praxis illorum ho-  
minum ob oculos ponit. Cur enim  
Trinitatis mysterium illis negatur, in-  
carnatio & ἡ θεότης τὸ λόγος ridetur,  
satisfactio Christi pro peccatis explodi-  
tur, Justificatio ex fide exhibatur, &  
reliqua pietatis mysteria & arcana pro-  
scribuntur? nisi quia hæc ut ex scriptu-  
ris intelliguntur, & verbis Scripturæ  
traduntur, cum ratione sua conciliare  
non possunt: & malunt rationi suæ  
adhaerere, quam verbis Dei.

11. Hinc est, quod tam novas, in-  
auditas, peregrinas & absidas inter-  
pretationes comminiscantur, quas po-

B 2      It ea vet-

stea verbo Dei imputant: uti nominatim est illa celebris *icap. I. Euang. Joh.* depravatio à *Lælio Socino* primitus, uti ipse gloriatur excogitata: quæ sicuti nulli retro Patrum in mentem venit, & tot secula omnibus fidelibus ignota fuit, ita à nullo effungi potuit, nisi qui Trinitatem personarum in una essentia, & Deitatem Christi & Spiritus negare sibi propositum habuit. Ut nisi felix *Lælii* ingenium hic succurisset erranti Mundo, decantatus hic locus, & Christianorum omnium omni tempore ore tritus, omnibus lectus, sed nulli omnino intellectus, perpetuis te-nebris damnatus nulli usui fuisset. Quid quæso est, Scripturæ nasum certeum affingere, quod tantopere in Pontificiis damnamus, si hoc non est?

I 2. Ita si argumenta ejus, quibus Trinitatem, Incarnationem & satisfactionem oppugnat, recto oculo inspicias, comperies eorum pleraque aut certe præcipua nihil aliud esse, quam cæcæ rationis *βανχδ' υμα* quibus fere dicis

dicis gratia tantum substruuntur aliquot è scripturis petita testimonia, ut glaucoma objiciat imperitioribus; quorum sensum ad rationis normam exacta, ita pervertit, ut ne id importent quod argumenta ista prorsus refellere creduntur.

13. Et vero si effata philosophica, & principia rationis quibus nititur, bene libres & pensites: non illa ex veris Philosophiæ fundamentis eruta, sed vel in ipsius cerebro enata, ab ipsoque primitus excogitata: vel ut vera sint, tamen male applicata & violente detorta comperies. Talia denique in quibus à genuina & nativa verborum significatione recedentes, illegitime à posse ad esse procedunt: & ex uno vel altero exemplo male abstracto universales fabricant regulas: quibus deinde præconcepta sua præjudicia inædificant.

14. Quid hoc aliud est, quam in hisce tenebris spiritualibus sibi de suo accendere lumen, & se malleolis proprii ignis

B 3 circum-

circumcingere: ut postea in focum ignis quem de se succenderunt, eant, & propriis scintillis pereant. ut de istis rationabilibus loquitur Proph. Esa. 50. 11. illa enim est justa hujus peccati iniuria, ut contemnit Prophetiam sequatur nudatio, Prov. 29. 18. & qui ad legem & testimoniun non properat, neque fecerit secundum verbum illud, non oriatur ei lux matutina. Esa. 8. 20.

15. Etenim prærogativa Dei, cum totum hominem complectitur, non minus rationem, quam voluntatem ejus circumscribit: ut homo in universum se abneget & accedat Deo. Quare sicut legi divinæ obedire tenemur, licet relinetur voluntas, ita & verbo Dei fidem habere, licet repugnet ratio. Cum si ea duntaxat credimus, quæ sunt rationi nostræ consentanea, rebus assentiatur, non auctori. Quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus. Unde quanto mysterium aliquod divinum, magis fuerit absonum & incredibile, tanto plus in credendo exhibetur hono-

tur honoris Deo; & fit victoria fidei nobilior.

16. Et certe, nisi in rebus fidei, rationem præcedat autoritas, abrogatur Deo Magisterium, & homo constituitur Judex Dei, cujas verba suo sensu in ordinem cogit; ut non obtineat illud, *sic dicit Dominus*, sed quod homo de se excogitat. Ut nisi propitium se homo præstet Deo, perierit illi omnis autoritas in hominem.

17. Atqui tantum abest, ut rationi aliqua prærogativa h̄ic debeatur, ut contra Christus gratias agat Patri, quod absconderit h̄ec ab intelligentibus & sapientibus, & revelarit ea vñtios infantibus. Matth. 11. 25. Unde & discipulis suis dixit, εὰν μὴ στραφῆται ἡ ψόντη ὁστὴ τὸ παιδία, οὐ μή εἰσελθῃ εἰς τὸ βασιλεῖον τοῦ. Matt. 18. 3. Vult plane hos instar Infantum suscipere regnum Dei. Quia Deus præteritis sapientibus, potentibus & nobilibus secundum carnem, quæ stulta sunt mundi & infirma, & ignobilia, & contemtibilia, & ea quæ non

B. 4

sunt,

FASCIC. DISPUT.

32

*finit, elegit, ut ea quæ sunt aboleret, uti  
ne gloriaretur ulla caro coram eo. I.  
Cor. I. 27. 28.*

18. Neque tantum injuria fit Deo,  
sed & homini ipsi, cum talis illi *ixarōms*  
ascribitur, cui nullo modo par est, &  
quam sustinere non potest. cum enim  
ipsa ratio per peccatum obtenebrata  
sit, quod horrenda illa ignorantiae pro-  
funditas, cum qua mundum istum in-  
gredimur, testatur, & quæ nos à pueri-  
tia obsidet, certe si lumen, quod in nobis  
est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ e-  
runt? Matt. 6. 23. Ex ista densissima  
tenebrarum caligine omnis error hu-  
manæ vitæ proficiscitur, qui omnes fi-  
lios Adam tenebroso quodam sinu su-  
scipit: unde cum multis præjudiciis à  
veri cognitione avertamur, nunquam  
iis liberari possumus, nisi ab illo illumina-  
nemur, qui est lux mundi, & via, veri-  
tas & vita, Joh. I 4.

19. Lux ista lucet quidem in tene-  
bris, sed tenebræ eam non comprehen-  
derunt, Joh. I. 5. Unde hæc est con-  
demna-

damnatio, quod lux quidem venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quam lucem, Joh. 3.19. At quomodo tenebre judicent de luce & lumine? Et quomodo sapientiam Dei posset justificare homo, cui illa est stultitia? & quomodo verbo crucis ædificari ad salutem posset, qui ad illum impingit & offendiculum patitur? quis à tam stulto judge rectam sententiam expectet? Unde quo quis majorem sapientiam præfert, & majore ratione niti videtur, eo iniquior Euangeliō reperitur. nimirum non capit anima-  
lis homo ea que sunt Spiritus Dei: stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere, eo quod spiritualiter dijudicantur, I Cor. 2. v. 14. Quare monet Apostolus, I. Cor. 3. 18. ut ne quis se ipsum fallat: si quis videtur sibi sapiens esse inter vos in seculo hoc, stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.

20. Cum enim pleraque Christiane fidei mysteria sola revelatione no-

P - bis

bis innotescant; & aut de illis rebus sunt quæ Deus de se ipso manifestavit, aut quæ ex mero ejus beneplacito flu-xere: quid circa illa ratio sibi arrogare possit? nonne plane hic intellectus no-ster captivandus & subjiciendus Deo? An forte quia aliter homini videtur, & ratio secus de iis quæ revelata sunt ju-dicat, alium sibi Deum, & aliam vo-luntatem ejus finget? aut eo demen-tiæ protumpemus, ut verbis quibus Deus se & voluntatem suam γνωστίς & notam facit, vim adhibeamus, quasi non illis significetur quod dicitur?

21. Cum ea quæ verbo Dei reve-lata sunt, talia sint, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, I Corinth. 2. 9. quæ sunt solæ viæ, quibus in rerum notitiam na-tura duce introducimur; nihil restat, quam sola fides, quæ conculta ratio-ne & silentio illi imposito divina ap-prehendat. Ut dignius quiddam sit credere quam scire. In scientia enim iuens humana patitur à sensu, qui à re-bus.

bus materialis resilit. In fide autem anima patitur à Deo, qui est agens dignius.

22. Illud scire operæ pretium esset ab ipsis rationariis, quam rationi dictaturam in hisce permettere possint. Nam aut ratio sibi relicta, & prout natura cuique inest, sibi hoc judicium assumet: & nimis cerea erit hæc regula judicandi, & verè Lesbia. aut prout principiis Dialecticæ, Metaphysicæ, Physicæ, Ethicæ, &c. suffulta & instructa judicat: at qui annon sic præda simus Philosophiæ, quando ad mysteria fidei dijudicanda sic perpetram applicatur, & ad normam Philosophorum axiomatum dicta Biblica æstimantur? & quid hic consilii, cum judicia variant, & unus sic, alter aliter de iisdem rebus judicat? & cum rationi ipsi lis intentatur, quis ipsam rationem judicabit?

23. Quo fine vero hæc ab ipsis urguntur? nimirum ut omnes homines in negotio religionis inter se exæquent, fidei omnia mysteria, & quicquid in

B 6 religio-

religione est *μυστεῖα*, exturbent: naturalem Theologiam in locum revelatæ substituant. Scripturam ludibrio exponant, & explicationibus suis enervent, ut juxta hanc interpretandi methodum intellecta, aut nullum aut tenuem sensum fundat, sed instar hydropici corporis, plus ostentet, quam revera continet.

24. Tutissimum hic est, non nimium sibi tribuere, nec rationi nimium indulgere, sed illam intra cancellos verbi cohibere, ut discat ab uno Deo pendere, & ex ejus præscripto sapere. ne ultra quam par est se promovendo, se perdat, & dum scrutatur majestatem, opprimatur à gloria.

DISPU-

De SOCINIANISMO. 37  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
TERTIA.  
DE  
SOCINIANISMO,  
*Respondente*  
IOANNE à CRALINGEN, Lugd. Bat:  
THESES. I.

**N**on potuit Theologîæ puritas constare, quæ tam putri fundamento innititur: neque enim ratio humana quæ tam multis aberrationibus obnoxia est, potest taleni Ecclesiam constituere, quæ sit εὐλόγη καὶ ἐργαῖων τῆς ἀληθείας. Quare ut vere sit noster cultus & Religio spiritualis, & λογικὴ λατρεία, oportet nos ante μεταμορφήν τῆς ἀνακαυσός τῷ θεῷ ήμῶν, εἰς τὸ θεοῦ μάζην ήμᾶς πρὸ δέλημα τῷ διεῖ τὸ αἴγαδον, καὶ δ' απεσδύ, καὶ τέλειον. Rom 12. 2.

2. Etenim ratio sibi permissa, tantum abest ut cum Veritate amicitiam contrahat, ut potius bellum illi αἰσπορδον indicet, & à religione exulare compellat. Cum enim in investigatione

Natu-

Naturæ tanta nobis nascatur difficultas inveniendi Veri, ut nisi recte regatur ratio, magis impedimento sit, quam ut certam nobis viam monstret: quanto magis illam cæcutire & cæspitare in rebus divinis, & à sensu remotis, verum est!

3. Etenim jam à pueritia, obsessa est mens nostraldolis & notionibus falsis, quæ adeo altas in intellectu radices egerunt, illumque ita occupant, ut Veritati difficilis aditus pateat. Et quantumvis se illis liberare nitatur, tantam tamen ab illis molestiam patitur, ut nisi aliunde munita & adjuta, nihil promoveat, sed magis extra oleas currat.

4. Falso enim asseritur, sensum humanum esse mensuram rerum. Quin contra omnes perceptiones tam sensus quam mentis sunt ex analogia hominis, non ex analogia Universi. Estque intellectus humanus instar speculi inæqualis ad radios rerum, qui suam naturam Naturæ rerum immiscet, eamque distorquet & inficit. Unde ex hac humani

mani Intellectus proprietate, non mirum est, *non capere hominem animalem ea quæ sunt Spiritus Dei*. Neque mundum in sapientia Dei non cognoscere Deum per sapientiam: Cum ipsa Dei sapientia illi videatur stultitia.

5. Præterea spiritus humanus, prout disponitur in hominibus singulis, est varius, multis & fortuitis perturbationibus obnoxius: vel propter temperamentum & naturam cuiusque propriam & singularem, vel propter educationem, & Magisterium quo usus est, vel propter lectionem librorum & autoritates eorum quos quisque sequitur & miratur: vel proper impressionum differentias, prout animum vel affectum vel liberum offendunt. Unde fere fit, ut quam quisque religionem & opiniones à pueritia imbibit, illis in tota vita se dedat, nec nisi cum summa difficultate deponat, aut si se nimis nititur, fit ut cum nimis intelligens videri appetit, nihil intelligat, & intellectum decoquat, & dum se perpetuo querendo fa-

do fatigat, nunquam aliquid certi inveniat.

6. Cumque homines per sermones socientur, & verba ferè ex captu vulgi rebus imponantur: hinc fit, ut mala & inepta verborum impositio miris modis intellectum oblideat. Quod soliti sumus conceptus nostros verbis quæ rebus accurate non respondent, alligare: adeo ut persæpe vocibus non intellectis præbeamus assensum. Quæ causa est tam multarum controversiarum inter homines, quæ fere omnes in inanes logomachias desinunt.

7. Quæ omnia rationem nostram tam multis difficultatibus & perplexitatibus involvunt, ut in multis vix ac ne vix quidem, in aliis non nisi fortuito se iis evolvere ac exticcare per se ipsam queat: nisi pro summa regula habeat, ea sola quæ nobis à Deo revelata sunt, ut extra omnem dubitationis aleam posita, esse amplectenda & credenda. Et quamvis forte lumen rationis, quam maxime clarum & evidens,

aliud

aliud quid nobis sugerere videatur,  
soli tamen autoritati divinæ potius,  
quam proprio nostro judicio esse fi-  
dendum & standum.

8. Quia ergo Intellectus noster na-  
tura sua siccii luminis non est: & præte-  
rea tot præjudiciis & erroribus ex sin-  
gulari dispositione est irretitus; quid  
aliud est rationis naturalis nifus, in re-  
ligionis negotio, quam religiosa quæ-  
dam insania, imo verius irreligiosa stul-  
tia, & rationale delirium. Quod in  
summa nihil aliud sit, quam relicto ver-  
bo Dei, sibi proprium verbum fingere,  
& ut Propheta ait, *derelicto fonte aquæ  
vivæ, sibi fodere cisternas: cisternas effra-  
ctas, quæ continere non valeant aquas.*  
Jer. 2. v. 13.

9. Hic vero cum Socinanæ Theo-  
logiæ processus sit, facile patet, non a-  
liunde eam, quam è rationis, suo mo-  
dulo de æternæ salutis negotio philo-  
sophantis, fonte dimanasse: vel certe  
ex ejusmodi S. literarum Interpretatio-  
ne profectam, qua nonnisi id, quod ve-  
rum esse

rum esse ratio judicat, quodque per causas & effecta propria ita se habere demonstrari potest, ipsi Scripturæ impingitur, & Deum ipsum dixisse creditur.

10. Quo jacto fundamento, id porro effectum est, nihil esse de Deo credendum, nisi quod per rationem de Deo cognosci potest: neque quæ de Deo in Scripturis revelantur, ulterius quid nobis patefacere, quam quod natura duce ex ipsis rebus creatis de Deo innotescit. Ut illa sit optima Dei notio, quam maxima pars hominum de Deo fovet, cœtra revelationem Verbi.

11. Quia ergo ex natura juxta Socinum nihil aliud concludi potest nisi Deum esse, & esse unum, hinc Monarchiæ astruendæ in Deo prætextu, Trinitas Personarum, quæ cum unitate simplicissimæ essentiæ optime cōvenit, negata. Et mysterium hoc fidei, quod summum est hominum bonum, quod purgatissimis tantum mentibus cernitur, ceu præsens religionis pestis & venenum,

nenum, exauktoratum est.

I 2. Quo facto , sicut speravit se Religionem Christianam liberaisse illis scrupulis, quibus potissimum Gentiles, Judæi, Muhammedani ab illa amplectenda deterrebantur, & aversos animos gerebant: ita inter Christianos hoc saltem obtinuit, ut quotquot inter illos non recte de hoc mysterio sentiebant , propitios expertus sit : paratos omnes in castra ejus transire, vel saltem ut non alieno animo essent ab ejus instituto. Quod nihil aliud est , quam mundi concordiam, per Dei abnegationem, moliri , & hominum consensum , per suum de Deo dissensum , emendicare. At recte dicit Johannes I. Joh. 2. 23. *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet, cum nemo norit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam norit, nisi Filius,* & cuicunque voluerit Filius retegere. Matth. 11.27.

I 3. Sic Jesus Christus servator noster in ordinem Ιας αρθρώς redactus, si non inutilis, certe non necessarius factus est.

Etus est: si enim salus per solitariū homi-  
nē procurari potuit, & obtinendē ejus  
ratio solo Exemplo constat & perfici-  
tur, quid necesse fuit aut solum Christū  
in Exemplum proponi, aut quid omni-  
no opus fuit Christo? Cum quicquid  
per merum hominem agitur, non ne-  
cessē sit per illum solum agi, & Virtu-  
tis Magister aliis esse possit, quicunque  
illam in se exhibet. Potuit ergo aliud  
*fundamentum poni, quam quod positum*  
*est: contra quam Apostolus testatur*  
**I Cor. 3. 11.** Et cur non Deus æque  
per Mosen, Paulum, aut quemvis Apo-  
stolum, aut Muhammedem aut Soci-  
num peragere potuerit, quod per Chri-  
stum effectum dedit? atqui num *Pau-*  
*lus crucifixus pro nobis, aut in nomen*  
*Pauli baptizatus?* **I Cor. 1.13.**

**I 4.** Propter eandem causam, quic-  
quid est μωσειῶν in religione Chri-  
stiana, & quod non omnes statim cum  
conceptu suo conciliare possunt, tan-  
quam ἀδιδόντες proscriptum. Unde in-  
carnatio τὸν λόγον, ejus satisfactio pro  
pec-

peccatis, & quicquid olim Judæis offendiculo, Græcis pro stultitia fuit, & adhuc est *nīs ἔξωθεν*, & Euangelii adversariis, id omne una litura indu&tum & deletum: quasi pax inter homines coire non possit, nisi abolito pacis unico inter eos remedio, mortis Christi pretio & valore: neque jam Christiani dici possint, nisi negato ante Christo, & tantum non inutili facto.

I 5. Præterea non aliter atque si cogitationes Dei essent nostræ, & viæ ejus nostræ viæ: quæ tamen sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ sunt à viis nostris, & cogitationibus nostris, teste Jesaia cap. 55. 8. 9. ita agunt cum Deo. Cum quicquid abludit à nostro sensu, & cum æquitate, justitia & sapientia humana non congruit, nec modo nostro agendi convenit, id Dei justitiæ, sapientiæ & æquitati non congruere audacter pronunciant. Quæ illis maxima est ratio, cur de præcipuis Dei attributis & decretis ita humano more judicent, Deum in ordinem cogant,

gant , & suis præsumptionibus circum-  
scribant: non aliter agentes , ac si gra-  
tis tantum Deus esset, neque suminum  
jus suum in nos, quo Deus est, obtainere  
posset, & illud libere exercere, nisi ex  
præscripto nostro omnia instituat.  
Quod non aliud est, quam mentis suæ  
idolum Deum facere.

16. Quantò sanctius & castius  
Augustinus , qui libro de Prædest. &  
gratia cap 2. cum sibi aliquid , quod  
quantum ad humanam justitiam vide-  
batur injustum, objecisset ; ita respon-  
det. *Quis ita desipiat , vel potius quis ita*  
*blasphemet, ut dicat de justitia Dei , leg:*  
*justitiae humanæ disputandum? quæ pro*  
*fecto si justitiae Dei adversatur, injusta est*  
*ab illo enim qui summè justus est , omn*  
*quod qualitercunque justum est, manu*  
*manifestum est. Quis ergo erit, qui incom*  
*mutabiliter manentem , Et omnia quæ*  
*sunt, condentem , regentem atque ser*  
*vantem Dei sapientiam, pendat humanæ*  
*sapientiae arbitrio? De qua Apostolus di*  
*cit, Quia carnis sapientia inimica est Deo*  
*Et alib*

*E*t alibi, sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum. Non est ergo de illa maiestate divinæ sapientiæ, humanæ vanitatis arbitrio disputandum.

17. Hinc ulterius factum, ut illam Religionem optimam sciverit, quæ omnibus hominibus maxime accommodata & apta esset, & quam omnes homines, vel plerique saltem cum suo sensu conciliare possent. Unde ait in Epist. ad Dudith. præcepta Novi fæderis, ei quod ratio dicit, ita respondere, ut proinde Deum illis ut stetur, velle, verisimile videatur, etiam extra divinam confirmationem. ut plane religio quam invexit, nihil aliud sit quam Theologiae naturalis typus quidam perfectionior; cuius perfectionis autor cum sit Christus, merito ab illo nominari Religionem Christianam. cuius haec summa sit, præ qua aliud nihil requiritur, ut præcepta atque promissa Christi quis recte cognita habeat: immo ne promissa quidem adeo exquisite peruestigata habere necessum esse, modo summam eorum vitam.

*vitam æternam esse constet, dummodo  
præcepta recte intelligantur.*

18. Ut summa Theologiæ Socinianæ sit, sub spe alterius vitæ observare mandata Dei. Quod cum etiam homini citra revelationem Verbi notum sit, notitia partim insita, partim rectæ rationis usu acquisita, quid aliud quam Ethica quædam ostentatur, quæ Christi nomine incrustata est? Ut ratio nulla sit, cur non ex Platone, Aristotele, Cicerone, Epicteto, salutis via addiscipit, & illis Magistris ad salutem perveniri. Scilicet hic totum mysterium beatitudinis pandit, qui dixit

*Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,*

*Hic tibi præcipue sit pura mente collendus.*

19. Hinc est quod profitetur Socius Epist. 11. ad Dudith. sufficere ad cognoscendum iter, quod ad salutem cælorum perducit, ut sciamus quæ revera præcipientur, vel vetentur à Deo, adeo ut in reliquis error occurrat, nemo ob eundem cælo

dem cælo excludatur. Imò alibi nihil aliud requirit, quam *ut pie vivamus & mundanis cupiditatibus valedicamus.* idque eo extendit, ut supervacaneum judicet cogitare de his, quæ Christi personam attinent, una cum iis omnibus quæ Christus pro nobis fecit & facturus est, quatenus per ea justificari velimus. De fide & operibus pag. 136. Cum omnia quæ Christus pro nobis fecit, eo tantum tendant, ut *de veritate præceptionum & promissionum divinarum confirmemur.* Quid quæso Gentilibus deest, quo minus hac præceptorum via insistentes, quæ illis natura cognita esse possunt, salutis æternæ compotes evadant, sine fide Christi?

20. Hinc ita laboratum, ut Christum aliquatenus necessarium facerent, atque religionem suam illi inædificant, ut Christiana dici posset. Cum enim quæcunque Christo tribuunt, extrinseca sint, & vel per aliun repræsentari æque ac per Christum potuerint, vel etiam sine illis salus constare potue-

C

tit,

rit, quid ita opus fuit Christo, imò quid omnino opus fuit Christo? Neque enim ex his aliud quid extundas, quam Christum fuisse insignem aliquem præ reliquis Ecclesiæ doctorem, potentem operibus & sermone, qui præcepta illa naturæ majore luce donaverit, & quædam alia iis adjecerit: & qui præterea ut mortis horrorem tolleret, & homines in spem immortalitatis erigeret, eum in finem mortem subiit, ut à Deo in vitam revocatus & immortalitatis gloria donatus, omnibus esset docuinenro, & exemplo, se si præcepta ejus servaverint, eodem modo ex morte in vitam restituendos, & immortalitate aliquando donandos. Quod ut facilitatem aliquam in operando afferat; cum tamen & citra considerationem & respectum ejus, omnia illa præstari possint, quibus vita æterna acquiritur, sequitur, Christum non posse haberi nisi accessorium quoddam hujus religionis, & viæ ad salutem, eo tantum nomine & in

intuitu ascitum & admissum, ut à Christo Christiana dici posset, & à Christianis suscipi.

21. Ex hisce quæ dicta sunt, & porro dici possunt, vera nobis hujus Theologiæ facies elucescit. Quæ, ut compendio dicamus, nihil aliud est, quam veri & trinarius Dei, in cuius nomen baptizati sumus, abnegatio, ejusque in idolum cerebri humani transformatio. Mysterii pietatis emasculatio & stuprum. Omnium hæresium, quæ Veterum, quæ recentium, confluges. Religio ad omnium ingenia accommodata, & cui omnes nomen dare possint. Quæ nomine tantum Christiana ( utpote ad cuius nō & s̄ræ aliquo modo, ad nō s̄ræ nullo modo requiratur Christus ) majorem convenientiam habet cum Ethnicis, quam cum Christianismo. Quæ it novitate sua grata sit, ita facilitate sua merito suspecta est. Informis ingeni humani partus, ex adulterio ratiōnis & Scripturæ conceptus, & obstetricante

tricante Philosophia natus & in lucem  
editus: à nullo adoptandus, nisi qui  
spe vītæ & hæreditatis æternæ multari  
velit. Catholicæ fidei & ab omnibus  
Christianis receptæ turpis μεταμόρφωσις,  
Apostasiæ à Christo symbolum, fidei  
scopulus, obedientiæ naufragium. In  
summa talis fœtus, quem exponere  
præstet, quam tollere.

22. Deus miseratur Ecclesiæ suæ,  
atque illi in hoc mortalitatis onere la-  
boranti propitius succurrat, & filios  
suos spiritu judicii & discretionis do-  
ner, ut ne inter tot errores & difficul-  
tates, quæ veritatis viam obsident, &  
mentem in varia distrahant, & electio-  
nem incertam & dubiam faciunt, am-  
bigui hæreant, & incerti viæ per am-  
bages eorum volentur: ne simile  
illis sint, qui semper querunt, & nun-  
quam inveniunt, semper discentes, &  
nunquam ad agnitionem veritatis perve-  
nientes: sed ut in Christo fundati & ra-  
dieati, retineamus caput, ex quo totu-  
corpus per commissaras & compages su-

pediti.

peditatum & compactum, augebat au-  
gmento Dei. Anathema maranatha, si  
quis non amat Dominum Jesum Christum.

---

DISPUTATIO THEOLOGICA,

QUA QTA.  
DE

SOCINIANISMO,

Respondente  
CHRISTIAN. DENGBERTIO,  
Harlemensi Batavo.

THESES. I.

**Q**UICUNQUE in Religionis  
negotio non hunc scopum sibi  
proponit, ut tantum iis quæ Deus  
ad salutem in verbo suo revelavit, arcte  
inhærere decreverit, iisque suam credu-  
litatem inqdiscere: sed rationis propriæ  
modulo & ductu omnia metiri & diju-  
dicare præsumit: hunc necesse est, cum  
à se omnem Religionis normam mu-  
tuetur, vel perpetuo & in omnibus à  
Deo dissidere, & suis cogitationibus  
cogitationes Dei elidere: vel si in ali-  
quibus, quod in valde paucis, iisque tan-

C 3 . . . tum

tum, in quibus ratio consonat revelationi, contingere necesse est, Deo dignas cogitationes & voluntati ejus conformes fovere deprehenditur, eum casu potius in illas incidisse, quam certa & non fallaci via huc devenisse.

2. Sed cum omnis Religio verbo innitatur, & certo præscripto ad dirigendas actiones indigeat; quibusunque verbum Dei non est lucerna pedibus eorum, nec lumen semitis: eos aliud & à se confictum Verbum sibi adoptare necesse est. Hinc enim fit, ut potius quam verbo destituatur homo, Enthusiasmos sibi singat, & stultas inspirationes, quas eeu aliquod Numen in ditigendis actionibus sequitur.

3. Vel certe rationem ipsam & proprium judicium ~~deponit~~, & sit sibi ipse Deus. Cum qui sibi sumit, quod est solius Dei, eo ipso in cœlum concendit & juxta Deum ponit solium suum, & similis fieri altissimo nititur. Quod primorum Parentum fuit peccatum, qui ut essent sicut dii, scientes bonum &

malum

malum, verbum Dei deseruere, descientes ad propriæ rationis & Diaboli dictamina. *Qnod vere est ἀγνῶμὸν ἡγεμοδαὶ τὸ εἶπαν θεός.*

4. Sed hic alias & major labor iis natus est, qui cum Christianum nomen ejurare non vellent, & tamen proprio sensui addicti, illad tueri nullo colore possent, si S. Scripturis more cæterorum Christianorum non starent, atque illis debitam reverentiam deferrent, in maximas angustias conjecti sunt. Aut enim, quia plura, quam quæ in verbo Dei p̄ntās credenda aut facienda præscribuntur, ad salutem creditu & factu necessaria sciscunt, alio & secundario verbo illis opus fuit, quod à Deo licet profectum, scripto tamen non sit consignatum, sed per traditionem Ecclesiæ ceu depositum sit commissum, à qua omnibus Christianis illud sit repetendum. Quod est non minimum Papatus arcana & artificium, quo sub nomine Apostolicarum traditionum, suum & proprium Verbum loco Dei Ecclesiæ obtrusit.

5. Vel

5. Vel certè, quia verbo Dei detraherent, & quæ in illo credenda proponerentur, vel negarent, vel non eodem modo de illis sentirent, sed de suo quædam illis adderent vel demerent: hinc factum, ut subruendo S. Scripturæ sensui, omnes ingenii machinas ad moverint. Qui certe Herculeus quidam labor fuit, dum ex Scripturis evtuere voluere, quæ nullo pacto in illis continentur, vel ea quæ tanquam solis radiis in illis scripta extant, expungere vel, aliorum detorquere conati sunt.

6. Aliter tamen hic incedit Pontifex Romanus, quam alii Hæretici. Ille enim quo sibi omnia subjiceret, non tantum ἀγγελον suum verbum, & Synodales canones & decisiones, & sua rescripta quæ in corpore Canonico leguntur, verbo Dei æquavit: sed & Scripturam, quasi ιδιας δηλυσεως esset, interpretandi jus & magisterium ἀπόστολον sibi sumxit, ut hoc pacto & de verbo Dei, & de sensu ejus omnes Oraculum ejus consulere necesse haberent

berent. Cum enim non in cortice verborum, sed in sensu ejus consistat verbi dignitas & robur, quisquis se facit sensus ejus doninum, verbum ipsum sibi subjicit.

7. Ast Hæretici, quibus sub Ecclesiæ larva suum institutum legere non datur neque ista autoritas concedit, alia via huc grassati sunt, id agentes ut scripturam per scripturam everterent atque subdolo suo agendi modo sensum ejus & ~~equum~~ eliderent. Perversa plane & Sophistica methodo, dum sensum, quem ex scripturis ipsis inutuari, atque ex illis exculpere debuerant, illis impingunt, atque proprios & à se excogitatos sensus Spiritui sancto commodant, quasi ab illo haustos.

8. Quo in conatu ut certatim operam ponunt omnes Hæretici, ita reliquis hac in parte palmam præcipere gestiit *Socinus*. Qui cum nihil credendum statueret, nisi quod ratio verum esse judiceret, quodque per causas

C 5. & ef-

runt, & illius judicio unice standum & effecta propria ita se habere demonstrari posset, necesse habuit scripturam ipsam ceream fingere, ut adulterum suum sensum, corruptore stylo ex illa educeret. Quod nihil aliud est quam domesticum suum sensum, apud se natum, scripturæ affingere; cum contra scripturæ sensus ex ipsis penetralibus scripturæ educendus fuit.

9. Operæ pretium videtur, hanc novam Methodum corrumpendi scripturas, parumper sub incudem revocare, ut hujus novæ Theologiæ idea melius nobis innorescat: & quibus adminiculis tantos progressus apud incautos animos fecerit, certius constet. Nam qui hac in parte præcipuum istius causæ subsidium positum esse judicat, nostro judicio rem acu retigrit.

10. Quia ergo, ut in præcedentibus disputationibus vidimus, rationi in mysteriis fidei indagandis & interpretandis, tantum non palmam defesse

esse pronunciant: non potuit aliter fieri, quin in intelligendis & expli-  
candis scripturis eidem tantundem tri-  
buerent: adeò ( sunt *Socini* verba lib.  
“de Servatore parte III. cap. 4.) ut non  
“modo quia dixisse Deum aliquid,  
“nim. in scriptura appareat, id verum  
“ideo esse constet: sed eriam quia ve-  
“rum esse apparet, id Deum dixisse,  
“nobis, sicut facere jubemur, certo  
“persuadeamus. Quod eousq; exten-  
dit, ut non vereatur dicere, non idcir-  
“co credendum rem aliquam ita se-  
“habere, quod non semel, sed sæpius.  
“in S. monumentis scripta exte: Cum  
“ea quæ fieri non posse aperte con-  
“stat, divinis etiam oraculis ea fuisse  
“diserte in speciem attestantibus, ne-  
“quaquam admittantur, & ideo sacra  
“verba in aliud sensum quam ipsa so-  
“nant per inusitatos etiam tropos  
“quandoque explicitur. Adeo ut  
“si rationi absurdum & contrarium  
“videatur, quod scriptura disertissime  
“affirmat, præstet modum aliquem di-

C 6.      “cendi

“cendi comminisci, quo ista de Deo  
“dici possint, quam ista simpliciter, &  
“ut verba sonant, intelligere. Qui sunt  
“impii Smalcii flosculi ex homilia 8.  
“in cap. I. Joh.

II. Hoc vero non est rationem  
suam subjicere verbo, sed verbum ra-  
tioni. Et cum verba sint signa con-  
ceptuum, quibus mentem nostram a-  
liis communicamus, quicunque verbis  
vim facit, rem ipsam, quantum in se  
est, tollit, & luci tenebras offundit.  
Et cum solus Christus in Ecclesia au-  
diendus sit, qui quæ in sinu Dei apud  
Patrem vidit & audivit, enunciare &  
enarrare solus potuerit, non est ho-  
mini committendum, ut rationem  
suam sibi in consilium adhibeat, ut se-  
cundum ejus dictamen statuat, an ita  
se res habeat vel non: sed ut contratio  
processu, ex revelatione de re creden-  
da statuat. Secus si fit, εκ αὐχεναλωτί-  
ζετ πᾶν νόμος εἰς τὴν κατανοήν τὸν Χριστόν.  
2. Cor. 10. 5. Nec unius Christi ma-  
gisterium agnoscitur: sed fit quisque  
sibi

fibi fidei magister, & ratio evehitur  
in solium Dei. Quod qui tentat, ex  
fumo suo lucem date cogitat.

12. Quia ergo pluralitatem per-  
sonarum in essentia divina, existen-  
tiam τὸν ἀογὸν ante assumptam carnem,  
æternam ejus Deitatem, atque ejus  
εὐαρθρόποντόν, & satisfactionem pro pec-  
catis, & justificationem hominis per  
fidem, &c. nullo pacto cum ratione  
sua conciliare valent, sed tanquam  
blasphema & absurdâ dogmata, &  
rationi inimica traducunt & proscri-  
bunt: hinc illis lis nata cum scriptura,  
ut quæ in illa de hisce mysteriis legun-  
tur & clarissime continentur, vel ex-  
tenuent, vel alio colore inducto à  
nativo sensu alienent, vel prorsus tol-  
lant.

13. Hinc prima illis cautio, ut  
paratiōtes sint objicere, atque exce-  
ptionibus suis sententiam adversatio-  
rum vellicare, quam suam defendere  
& probare. Et certe hac potissimum  
in patte, acumen eorum desudat, ut  
potius

potius scripturas in alienum sensum  
detorqueant, & suas interpretationes  
qualicumque viâ tueantur, atque de-  
ductionibus ad absurdum adversarios  
urgeant, quam ut recta via, & solido  
discursu, qui à fundamento extructus  
sit, sententiam suam probent & pro-  
pugnant. Aut si aliquando etiam id  
moliantur, id tam frigidè agant, & fe-  
re tantum ratiociniis ex Philosophia  
& ratione depromtis, & excogitatis  
Sophismatis, ut appareat illis hoc pro-  
positum suisse τῶν θεον διαφυλάττειν.  
Ut id legentibus argumenta eorum  
quibus contra Trinitatem, Incarnatio-  
nem, satisfactionem & justificationem  
utuntur, ad oculum patet. Qui timi-  
dus & versutus agendi modus, uti me-  
rito suspectus esse debet, ita sublestam  
fidem eorum arguit. Certe Auguſti-  
no ita displicuit, ut testetur hoc ipsum  
se vel in primis à Manichæis alienasse  
& retraxisse, quod animad veteret ip-  
“sos plus in aliis refellendis disertos  
“& copiosos esse, quam in suis pro-  
“bandis.

“bandis firmos & certos manere. De  
“Utilitat. cred. cap. I.

I 4. Et quia optimus est fere ille sensus, quem verba ex genuina sua institutione ex se fundunt, & significant: quique sine ambagibus, primo statim intuitu, se legenti probat. Hic illis alia semita ingredi visum, qua per inusitatos tropos verbis vim faciunt, & à germana significatione deflecent, & quâ forte semel aut iterum tantum deguntur, eâ intelligi volunt. Cum manifestum sit, terminos, quibus proferuntur articuli fidei, & quibus utitur scriptura, usitato significatu accipi, atque usitatos in mente producere conceptus. Nisi ipse contextus & ἀκολεύσια figurate sumenda verba doceat. Ut non nisi summa cum necessitate à verborum proprietate receendum sit, aut cum si proprie sumas, flagitium juberi videatur.

I 5. Quod si usitata significatione non acciperentur in scripturis verba, sed aliam menti eamque inusitatam offerrent

offerrent, quæso unde ea significatio  
nobis innotescat? Certe nova opus  
erit revelatione, de cuius ratione cum  
sit, ut inusitato modo loquatur, ad il-  
lam intelligendam aliâ opus erit reve-  
latione, atque sic porrò in infinitum.  
At sane cum quicquid creditur, prius  
concipi à nobis debeat, antequam ei  
fides & assensus adhibeat; sequitur  
verba & enunciationes S. Literarum,  
eosdem quidem in intellectu legen-  
tium & audientium conceptus & no-  
tiones generate, quas aliâs solent, ar-  
que sine auxilio spiritus concipi pos-  
se, cæterum fide firma immotaque  
credi non posse. Ut cum dicitur v.g.  
verbum caro factum, quilibet ex Ju-  
dæis etiam & Paganis, qui non ni-  
mium morosus esse velit, intelligit, ac  
satis quid sibi scriptura velit, percipit,  
eo nimirum innui, Sermonem illuim,  
incarnatum & hominem factum &  
~~εσαρθρωνδηνται~~, licet fidem non habeat  
sed causetur terminos, quos sanè con-  
cepit, conjungi, qui conjungi nec de-  
beant

beant nec possint.

16. Hic verò mirum quam sibi licentiam permittant Sociniani : qui contra omnium seculorum fidem, contra Ecclesiæ Catholicæ  $\epsilon\kappa\delta\epsilon\zeta\eta$  & confessionem , contemta & insuper habita verborum significatione & Syntaxi, talem illis sensum affinxere, quem nemo ex verbis ipsis eruere possit, & qui nemini unquam in mentem venire potuerit, nisi qui negata Christi æterna Deitate, duarum narrarum in una persona  $\epsilon\tau\omega\zeta\eta$  & unionem  $\alpha\tau\alpha\rho\nu\eta\delta\zeta$  in animum induxit. Quod quicunque violentas , quas primo capiti Johannis omnibus integratiis, invita minerva; spreta verborum proprietate & significatione, & universi contextus  $\alpha\lambda\lambda\alpha\chi\zeta\alpha$  induxere glossas, rite perpendere velit, juxta nobiscum facebitur. Certe nihil est tam absurdum aut hæreticum, & à spiritu mente & scopo alienum, quod non hoc pæsto scripturæ impingi possit.

17. Hinc

17. Hinc ille solennis ipsorum  
mos, ut excusis curiose Concordan-  
tiis, varias ejusdem vocis significa-  
tiones conquirant, ut quæ maxime il-  
lis proposito servite videtur, & con-  
firmandæ hypothesi apta, illam præ  
aliis seligant, atque super ea Interpretationes  
suas novitias extruant. At-  
qui, non si locus aliquis aliter possit  
intelligi, continuò sequitur, illum a-  
liter intelligendum. Cum ut recte  
*Scholastici*, verba tam diu militent  
pro significatu famosiori, donec evi-  
dens causa, quæ alium suadeat, osten-  
datur. Quando enim dictum aliquod  
manifestam & obviam admittit *ipsum*-  
*reīār* ita ut sensus ejus sit facilis intel-  
lectu, sitque sensus ille literalis ab-  
que omni manifesta absurditate aliis  
dictis non repugnans, & recte cum  
antecedentibus & consequentibus  
congruat, tum certum est nos tuto in  
sensu literali posse acquiescere, neque  
sufficere ut locus possit aliter intelli-  
gi. Cum, ut in Scholis loquuntur, à  
posse

posse ad esse non valeat consequen-  
tia.

I 8. Hic verò se prodit aliud ma-  
jus & latentius malum, quod quò mi-  
nus animadvertisit, eo occultius ser-  
pit, & venenum suum ad incautos ani-  
mos magis diffundit. Legentibus e-  
nim scripta eorum, apparet, eos, in iis  
quæ de Christi persona & officiis, de  
statu ejus regni, fœdere gratiæ, satisfa-  
ctione pro peccatis, & justificatione  
ex operibus, &c. asseverant, magis ac-  
cedere illis opinionibus, quas Iудиæ  
de Messiæ persona & statu fovent, quā  
Christianorum veræ & orthodoxæ de  
Christo fidei & Confessioni. Cum  
manifeste in his 'Ιεραις' deprehendantur.  
Quæ causa illis fuit, ut dere-  
lictis Christianorum Patrum & docto-  
rum sententiis & scripturæ Expositio-  
nibus, Iudeorum Magistrorum ple-  
rasque Interpretationes, qua literæ ad  
hærent, adoptavetint, & suas fece-  
rint. Unde & factum, ut reliquis tran-  
lationibus prætulerint versionem

Leonis

Leonis Judæ, Castellionis, Pagnini,  
& omnibus Expositotibus & Inter-  
pretibus Vatablum, quem perpetuo  
& singulis fere paginis crepant, & in  
ore habent, & ad notas ejus ceu ad fa-  
cram anchoram confugiunt. Nullam  
aliam ob causam, nisi quod hic notas  
suas ex Rabbinorū commentariis, qui  
tantum lireræ corticem stringunt, nec  
ad sensus medullam pertingunt, con-  
textas, huic hominum generi, qui ob  
linguæ Hebraicæ imperitiam ipsos  
autores consulere non poterant, pro-  
bare potuit, atque sua industria illis  
laborem minuit & compendifecit.

19. Hinc illa S. Scriptuæ, & ora-  
colorum omnium, quæ de Christo so-  
nant & Regno ejus, extenuatio &  
eviratio. Quia scriptura equuleo in-  
genii humani excarnificata meliore  
sui parte castrata visitur. Ut instar hy-  
dropici corporis, verborum quendam  
 $\delta\gamma\kappa\sigma$  & tumorem præferat quidem,  
cæterum re ipsa spoliara, jejunos &  
rancidos tantum sensus fundat, qui-  
bus

bus nihil, præter verborum grandem strepitum, rei subsit. Quo factum, ut cum legitur Moses & Prophetæ, non compareat in illis Christus, qui sub velo latens, illis secure præteritur, & quæ de illo sunt oracula, vel non de illo loqui, vel aliud quid quam illi conveniat, continere, dicitatur. Quæ maxima est fidei Christianæ depressio, & Veteris Testamenti exinanitio.

20. Atqui tamen hic agendi modus ita contagio & exemplo nocet, ut non sine stupore & dolore animadverterimus, potuisse illum placere viro maximo, & de literis & studiis humioribus cæteroquin meritissimo. Qui in Annotatis suis ad Vet. Test. præcipua quædam & maxime illustria de Christo vaticinia, qualia Psal. 2. & 22. & Esai. 53. atque alibi passim leguntur, prorsus enervate, & Isdæxæ interpretari deprehenditur: ut appareat illum cum Eunucbo, Act. 8. v. 34. in lectione cap. 53. Jesaiæ ad-

FASCIC: DISPUT:

adhuc hæfisse, & necesse habuisse  
quærere, an hæc Propheta de se dicat,  
an de alio quopiam. Cum tamen ista  
interpretandi S. literas ratio, vix aliis  
se probare possit, quam quibus animo  
sedet Catholicam de Trinitate &  
Christo fidem improbare.

21. Heic, si principia eorum Logica & Philosophica, quæ in scriptis eorum occurunt, quibus dogmata sua nova & inventas Heræses fulcire & probare satagunt, ad rectæ rationis & scripturæ lydium lapidem excutere atque examinare vellem, augiq; quod-dam stabulum mihi repurgandum foret, & latissimus campus decurrendus. Sed cum ἐδέρεις in illis conspiciatur, præstat nostro judicio, ea singulis erroribus, quibus comprobantis affeuntur, conjugere, ut qua parte in probando deficiant, luculentius inde constet.

22. Nobis hoc tempore sufficiat ostendisse, qua μεθοδίᾳ τῷ μαίντι, S. Scripturam in suas partes pertrahere, nitanut,

nitantur, atque pro se & erroribus suis sententiam dicere cogant. Quo talem viam panderunt, qua si incedere cui lubeat, omnia animi sui portenta & adinventiones ex scripturis comprobare eodem modo possit, atque omnia *anima sua* & cerebri commenta ex iis defendere. Quod nihil aliud est, quam scripturam omni luce & lumine spoliare, omne judicium eripere, expressa mortuain literam facere, & discipularum, qui illi ab hominibus debetur, in superbum & putidum Magisterium convertere.

DISPU-

## DISPUTATIO THEOLOGICA,

QUINTA.

DE

## SOCINAINISMO.

*Respondente,*

CORNELIO LAURENTIO,

Amstel.-Bat.

## THESIS. I

**V**IDIM US hactenus , quomo-  
do novitus hic Religionis fœ-  
tus, qui nihil aliud est quam ra-  
tionis humanæ soboles & propago, se  
omnibus religionibus reliquis adap-  
tare & conformare nitatur : ut solis  
Euangelicis exceptis, cum quibus ~~et~~  
~~et~~ bellum gerit , reliquis sectis o-  
mnibus se prostituere, aut illas ad se  
pertrahere possit , aut syncretissimum  
& concordiam saltem cum illis inire.  
Qua tamen in re singularitate qua-  
dam eximia est : cum ob id quod illi  
proprium est, nec cum aliis commune,  
omnium amorem mereatur , & quæ  
tam ambitiose omnes procatur, ab o-  
mnibus

minibus vicissim appetatur. Ut merito singularitate sua Universalis, & universalitate singularis appellari possit.

2. Cum enim hæc sit sors Veritatis in hoc mundo, ut qui non facit cum illa, sit contra illam: perraro hæc alea fallit, ut quicunque illam deserit, non certum perfugium inveniat apud seatas. Quibus fere quicquid à regia via delirat, allubescit, ut se omnium errantium armis induant, iisque utantur ad Veritatis oppugnationem. Cum ergo omnis hæresis de Philosophia subornetur, & de libero arbitrio armetur, hinc tam pronus illi in Pelagii castra transitus. Et quod proximum huic est, nec evitari potest, divinæ Providentiæ & Prædestinationis, ad hominem attemperatio, & præpostera Dei sub homine subordinatio. Qua in parte cum nihil Pelagio concedant, ac præterea novis argumentis & responsionibus labantem causam suffulcire credantur, non potuit non gra-

D

-tissi-

tissimum esse illud eorum accesso-  
rium.

3. Ante omnia vero placuit, quod  
salutis fundamentum jecere opera.  
Quod cum & Judaismi, & Ethnicis-  
mi & Turcismi, & Papismi, atque o-  
mnium eorum cœtuum, qui se à re-  
formatis Ecclesiis separant, sit com-  
mune vexillum, non potuit aliter fie-  
ri, quin saltem ob hanc communis  
causæ susceptionem, apud omnes gra-  
tiam invenerint. Omnes enim hoc  
præjudicium occupat, quod pro-  
priam justitiam erigere conantes, ju-  
stitiæ Dei non subjiciuntur. Unde il-  
la Euangelii & fœderis gratiæ, in le-  
gem & fœdus operum fœda transmu-  
tatio, fidei & operum confusio, &  
justificationis legalis introduc̄tio, &  
legis loco gratiæ & veritatis substitu-  
tio, ortum habuere.

4. Quia vero non satis visum est  
omnibus placere, nisi etiam singulis,  
quoad ejus fieri poterat, attideant  
quas fecissent fabulas: quia norant  
maxi

maximum concordiæ inter homines  
gluten esse, uniformes de Deo sen-  
tentias, maluere in gratiam Judæo-  
rum, Paganorum, Turcarum & Hæ-  
reticorum, veras de Deo notiones, &  
certissimos characterismos quibus se  
à falsis diis & ab idolis cogitationum  
nostrarum distinguit Deus ipse, abo-  
lere, & in diminutum Deum credere;  
quam ut Deum, prout se in verbo suo  
patefecit, essentia unum, personis tri-  
num, atque cum omnibus suis attri-  
butis & proprietatibus divinis incor-  
ruptis & non munitatis confiteren-  
tur & colerent.

5. Ita cum transegissent de Deo,  
nullo negotio cum hæreticis conven-  
tuim de filio: quem omni divino axio-  
mate spoliatum, & in censu meræ  
creatüræ deturbatum, & æternitate  
exutum, oīnni officiorum potestate  
nudatum, nullo vero merito aut effi-  
cacia conspicuum, & sola doctrina  
& exemplo servatorem, ceu δ&λ' πορ  
quendam Mosem & Legislatorem se-

D 2 secun-

secundarium (utpote cui paucula reliqua essent à Mose, quæ appendicis tantum vice adderet legi) repræsentarunt. Qua proditione id egerunt, ut si infidelibus hoc pacto placere potuisset Christus, infeliciores redde-rentur acceptando, quam fuerant carendo.

6. Ut vero se reliquis sectis, & præcipuæ Catabaptistis, accommodarent: non solum quicquid est μωσηῶν in Religione Christiana exterminarunt, & omnia ad captum huma-num Φιλοῖς λόγοις conformarunt: sed & in omnibus iis controversiis, quæ illis cum Reformatis intercedunt, ceu Palæmones quidam non rogati, aut pro illis sententiam dixerat, aut rem ita involverunt, & incrusterunt, ut sine gravi sententiæ suæ injuria in partes illorum secedere possent. Uti ex iis pater, quæ circa Juramentum, Potestatem Magistratus, Pædobaptismum, incarnationem &c. οὐφαράγια exco-gitarunt.

7. Quia

7. Quia vero novitas magnum est condimentum, quo simpliciorū animi inescari solent, qui ad consueta fere nauseant, nihilque admirari solent, quain quæ novitatis facie se commendant: hinc ut dele&tatione quadam leves animos titillarent, tot novitiis commentis, & à se primum excogitatis Inventionibus universam Theologiam immutarunt, atque insuper tot ingeniosis glossematis & interpretationibus ante hac inauditis S. Scripturæ sensum involverunt, ut qui secundum illa velit θεολογεῖν, tandem cum suo damno sentiat, se medios delapsum in hostes, in aliud Euangeliū esse translatum. Cujus generis & indolis sunt, quæ de ascensione quadam Christi in cœlos, quæ illam post resurrectionem factam præcesserit, ex Joh. 3. 13. nugantur, ἀμνίσωεγόν, εὐαρδόντες. Ut & quæ de corpore Christi non glorificato à resurrectione, sed glorificationem suam demum in ascensione natō, & quæ de statu

D 3

primi

primi hominis, & ejus mortali conditio-  
ne: & de novis quibusdam præce-  
ptis Christi seorsim traditis, & quibus-  
dam aliis decalogo additis: de aquæ  
baptismo, de statu fidelium sub Vete-  
ri Testamento &c. audacter & teme-  
rarie definiunt.

8. Ex quibus omnibus constat, id  
eos agere & moliri, hac nova religio-  
nis fabrica, ut, cum illis animus sit nul-  
li alteri sectæ nomen dare, sed suo se-  
tibicine fulcire, omnes in nassam suam  
compellant, & ad amplectenda sua  
dogmata viam complanent, quo o-  
mnes in se absorbeant. Cujus voti ut  
compotes evadant, mirum quem non  
prætexant pietatis zelum: cuius etiam  
quandam velut artem & ignoratam  
hactenus omnibus methodum osten-  
tant, & in confessoribus suis laudant  
& deprædicant. Quasi bene inter eos  
vivi possit, ubi tam male de Deo sen-  
titur. Et quasi non primum sit πῦς τὸν  
δοτέλεαν ἡγεμόνεος, μόρφω Κύρω τὸν εὐχειτήν.  
2. Tim. 3. 5, falso gloriantur de pie-  
tate,

rate, quibus eviluit primarium τὸν τὸν  
αστέρας μυστήριον, I. Tim. 3. 13.

9. Sed præcipuum caput, quo se  
jactant, & quod ante *Socinum* à mul-  
lo recte intellectum, nec prout oportet,  
explicatum contendunt, & in quo  
tamen medulla omnis Religionis &  
pietatis sita sit, hoc est, quod se de-  
mum veram ad immortalitatem viam  
invenisse, eamque mundo patefecisse  
credi volunt, de qua ἡ ιερά πα-  
τρόποι ὁ δε λογομάχος audivimus dispu-  
tatione prima, utpote quam per plura  
annorum millia ante adventum Christi  
semper ignoratam, quamque ipsi Mosai-  
cæ legis cultores pertenui aliquando su-  
spicione odorati, nunquam aperte depre-  
hendere potuerint, quam denique à Chri-  
sto Apostolis patefactam, mox succrescen-  
tium errorum spinis obsitam, atque dira  
obruente caligine abditam, rursus ex alto  
fabularum senticeto, ac redditâ veritatis  
luce, benignissimus Deus detexerit atquè  
restituerit. Dissertatione præmissa operi-  
bus Socini ab Equite Polono.

D 4

I o. Hanc

Io. Hanc porto immortalitatis viam ita nobis Socinus explicat. *Vt quia homo de terra ab initio formatus, nihil per se ē natura sua habet commune cum immortalitate, ē propter violatum à se præceptum, ex ipsius Dei decreto, necessariæ perpetuæque morti obnoxius est factus: necesse fuisse, quo cum Deo in gratiam redeat, ē inspem vita immortalis venire possit, ut Deus omnia ei peccata remittere, ē immutata ejus natura, è mortis servitute eum vindicare velit.* Quod utrumque præstare homini decreverit Deus, dummodo eum ante patratorum peccatorum pœniteat, atque is in posterum non ad terrenam ē carnalem, sed ad cœlestem ē spiritualem normam vitam suam conformet.

I I. Quia verò non protinus à morte soluti ē liberi sumus, sed subire illam omnibus necesse sit, atque etiam acerbissimam illam quandoque ob adjunctos cruciatus ē tormenta experiri: placuisse Deo, ut de consilio ejus persuasi essemus, mittere in mundum filium suum, qui hoc consilium

consilium Patris nobis anunciatum, & divinis miraculis confirmaret, & proprio sanguine obsignaret, appetita ultrò illius causa acerbissima & ignominiosissima morte. Ut demum illo excitato à Patre ad sempiternam vitam, certissimè nobis constaret, eos, qui huic via, quæcumque tandem incommoda aut pericula eis objicerentur, insisterent, evasuros tandem ad illam vitam, quam Deus per eum pollicitus est. Præsertim cum illi excisato & immortalitate jam donato, contulerit Deus omnem potestatem in cœlo & in terra, etiam illam, excitandi nos à mortuis, & immortalitatem donandi. Ut nulla amplius sit causa dubitandi, datum illum nobis vitam illam cuius potestatem conferendæ eis, qui ejus vestigia secutifuerint, Deus ei largitus est.

I 2. Hoc verò tam evidens fidei nostræ adminiculū nobis eripi, communia illa & Catholica Christianorum fide & opinione: qua credit Jesum illum resuscitatum, esse illum ipsum summum Deum, & patre essentia non diversum: cum nec bo-

na fide mortuus dici possit, qui est ipse supremus Deus: nec in ipsa morte aliena ope, sicut nos, indignerit; sed ipse suis viribus & potentia se è lethi faucibus eripuerit. Quod si ita se habeat, perire nobis omne spei argumentum & solatium. Quid enim ad nos, si is, qui resurrexit è mortuis, est verus Deus, & qui suæ sibi resurrectionis autor ipse extitit? Quid enim in nobis simile, qui ipsi morimur, non accessiones nostri? cum nulla sit consequentia, si filius Dei, qui idem est Deus, ex mortuis resurrexit suis viribus, ideo nos ex morte excitandos esse.

I 3. Ex qua tota serie, & digestione causarum salutis, apparet, nullum hujus spei fructum illis Christianis relinquunt, qui Catholicam de Trinitate fidem amplexi, Jesum Christum non tantum verum hominem, sed & verum ac ònus òmni Deum confitentur & adorant. Quasi hæc fides sit nobis obstaculo, quo minus ad immortalitatem aspirare possimus: atque nullus vitæ effectus ad nos pervenire queat, nisi illius autor statuatur,

non

non verus Deus, sed merus homo.  
Cum ex adverso non possit dici *vita*  
*& Lux mundi ἀρχὺς τὸ ζωῆς*, Resur-  
rectio & vita, nisi quemadmodum Pater  
habet vitam in se ipso, ita & filio dedi-  
set habere vitam in se ipso, Joh. 5. 26.  
quod de mera creatura dici nequit.  
Ita & quamvis potestas judicium facien-  
di, & potentia vivificandi & excitandi  
mortuos illi data sit, quia filius hominis  
est. ibid. v. 27. non tamen in illum  
conferri potuit, nisi simul esset verus  
Deus.

I 4. Deinde tale consequendæ  
immortalitatis medium proponunt,  
quod æque per quemvis sanctorum  
nobis exhiberi & repræsentari potue-  
rit, quam per Christum. Cur enim re-  
suscitatio Petri aut Pauli, non ean-  
dem vim habeat persuadendi nobis  
immortalitatem, siquidem vestigia vi-  
tæ illorum calcamus, quam ipsius  
Christi? Cum quicquid per merum &  
solitarium hominem agitur, non ma-  
gis hujus, quam alterius ope & mini-

D 6

sterio

sterio peragi necesse sit. Homo enim hominem non excludit à consortio operis. Cum resurrectio nostra ita Christi resurrectioni innexa sit, ut hac posita, illa de necessitate consequatur. Unde illa argumentatio Apostoli 1. Cor. 15. 12. *Si Christus resurrexit, utique mortui resurgent: & si mortui non resurgent, utique non surrexit Christus.* Quod argumentum tenue est, & nullum, si non nostra resurrectio pendet ab illa Christi, & hæc non sit vera causa nostræ resurrectionis. Quis enim ex Lazari resuscitatione ita ratiocinetur? Atque hanc causam indicat Apostolus v. 20. *nunc vero Christus excitatus est ex mortuis, factus primitiæ eorum qui obdormierunt.* Sicut ergo primitiæ sanctificant reliquam massam ex qua desumptæ sunt: ita Christus; quia Ἐ sanctificans, Ἐ qui sanctificantur, sunt ex uno omnes, Hebr. 2. 11. resurrectione sua ex mortuis factus ἐπωνύμος εἰς τὸν νεκρῶν, Col. 1. 18. factus est omnibus autor refur-

resurgendi ex mortuis. Id quod ex comparatione primi & secundi Adam porro evincit, v. 2 I. quos in eo pates inducit, quod sicut per hominem mors, per hominem quoque sit resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. At non potuit hoc donum vitae communicari hominibus, nisi ab illo qui esset author & dominus vitae. Quid quod majore quadam vi & potentia à Christo fluit vita, quam ab Adamo descendit mors. Etenim si per unius offensam mors regnavit per unum, multo magis ii qui redundantem illam gratiam & donum justitiae accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum, Rom. 5. 17. quod illi competere non potest, nisi quatenus ipse est ante omnia, & omnia per eum consistunt. Estque caput corporis Ecclesiae, principium & primogenitus ex mortuis, ut in omnibus primas teneat. Quoniam placuit ut in eo omnis plenitudo inhabitaret, Col. 1. 17. sicut & de fa-

de facto, in eo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Ut in eo simus completi, qui est caput omnis imperii & potestatis. v. 2. 9. Quæ omnia talia sunt, ut nulli alii præter Christum convenire queant, neque ulli solitario homini, imo neque homini Christo, si non idem esset *διὸς φαρεπωτεῖς ἐν σαρκὶ*, I. Tim. 3. 16. qui vitam habet in se ipso, atque illam communicat cui vult.

15. Quod enim hic unice spe-  
ctandum, non tantum nobis est Christus immortalitatis autor exemplo,  
sed vi & efficacia, nec quia ostendit resurrectionem, sed quia confert. Est enim ille panis ille Dei qui de cœlo de-  
scendit, & dat vitam mundo, Joh. 6.  
v. 33. qui talis panis est, ut qui eo ve-  
scitur, non moriatur, sed vivat in æter-  
num, v. 50. 51. & habeat vitam in se  
ipso. Quia enim caro Christi est vere ci-  
bus, & sanguis ejus vere potus ideo e-  
tiam qui edit carnem ejus, & bibit san-  
guinem ejus, habet vitam æternam, &  
resusci-

resuscitatur in ultimo illo die v. 54. 55.  
idque ideo, quia ille manet in Christo,  
& Christus in eo. Quæ omnia tam ar-  
etam nostri cum Christo communio-  
ne in & unionem inferunt, ut in nul-  
lum, qui merus sit homo, illa com-  
petere possint: & nullo pacto cum te-  
nui illa & exemplari vitæ per Chri-  
stum participatione conciliati.

16. Quid quod hoc pacto mors  
Christi vel inutilis, vel supervacanea  
redditur: quia nullo modo ut satisfa-  
ctoria vel meritoria considerari possit.  
Utpote cuius subeundæ nulla Christo  
necessitas fuerit, nisi quia ex illa elu-  
etando certain omnibus resurrectionis  
fidem fecerit. Quod tamen & pro-  
missorum veritate & fide, miraculo-  
rum suorum efficacia & divinitate, &  
præcipue resuscitatione Lazari, &  
aliorum, apud omnes qui dictis &  
factis ejus convicti, fidem illi habe-  
bant, obtainere eum æquum & justum  
erat. Et nonne ejus receptio in cœ-  
los, & collocatio ad dextram Patris,  
quam

quam consecuta est effusio Spiritus in  
Apostolos , & ~~in propria Cis~~ illa & glo-  
rificatio , non satis valida immortalita-  
tis nostrae pignora fuere , etiam si  
mors nulla præcessisset?

17. Et certe valde infirmum ser-  
vatorem & nullarum virium esse o-  
portet , à quo vitam & immortalita-  
tem expectamus: qui absorptus à mor-  
te , se ipse ex illa liberare & ex vincu-  
lis ejus extricare nequiverit , neque  
sibi brachio suo salutem afferre. Quo-  
modo enim *alios* juvet , qui se ipse juva-  
re non potuit? Talis vero Servator nos  
decebat , qui morti dicere posset *Ero*  
*ô mors pestis tua* , Hos. 13. 14. quem-  
que ideo excitavit Deus solutis dolori-  
bus mortis , eò quod impossibile erat eum  
ab ipsa retineri , Act. 2.24. Et cui ideo  
data est omnis potestas in cœlo & terra ,  
ut omnia subjiceret pedibus suis ,  
etiam mortem ipsam , quam trium-  
phavit in cruce. Hinc dicitur per mor-  
tem aboleuisse eum qui mortis habet im-  
perium , i. diabolum , Heb. 2. 14. &  
soluisse

*solvisse opera diaboli, I Joh. 3. 8.  
Cum enim stimulus mortis sit peccatum,  
I Cor. 15. 56. condemnato peccato  
in carne, mors aculeum amisit, & ab-  
sorpta est in victoriam. Venit quidem  
contra Christum princeps hujus mundi,  
sed non habuit in ipsum quicquam. Joh.  
14. 30. Atque hoc ipsum est, quod  
de se asseverat Christus, Joh. 10. 18.  
Ego pono animam meam ut eam rursus  
assumam. Nemo tollit eam a me, sed ego  
pono eam a me ipso: potestatem habeo  
rursus assumendi eam. Quod & antea  
sub involucro innuerat, Joh. 2. 19.  
cum diceret Judæis, destruite templum  
hoc, & tribus diebus erigam illud. Lo-  
quebatur enim de templo corporis sui,  
v. 21. Talis ergo fuit haec resurrectio  
Christi, ex qua, ξωονθεις τῷ μὲν υἱῳ  
I. Pet. 3. 18. agnitus fuit & definitus  
filius Dei & secundus Adam, qui factus  
est eis θρυμβος ζωοτοῦ, I. Cor. 15.  
v. 45.*

*I 8. Sicut ergo, ut vere dici possit ho-  
mo mori, nō est necesse omnia hominis  
mori,*

mori, non certe animam; quæ etiam post mortem superstes est: ita nihil absurdi est, filium Dei, & Deum adeo ipsum, vere mortuum dici, licet anima ejus toto tempore mortis fuerit in paradyso, & divinitas immortalitem, quæ ipsi natura competit, non exuerit. Cum ex hac unione τὸν αὐτὸν cum carne, verum & suum pretium accesserit morti Christi, ut qui sanguis fusus est, dicatur *proprius sanguis Dei*, Act. 20. 28. qua & ratione τίμωρ εἶνα dicitur I. Pet. 1. 19. cum extra illam unionem sanguis meri hominis nullius foret aestimii ad conciliandum Deum, Psalm. 49..8.

19. Nec vero, quod maxime ex hac meri hominis resurrectione extundere satagunt, id ex ea sequitur: nimur nos firmissime inde inferre posse, nos similiter excitandos, si præceptis ejus insistimus. Neque enim si Deus Christum, nullius peccati compertum, nulla labe concupiscentiæ laborantem, ὅτον, ἀγαπῶν, ἀμιαντόν, κεχωρε· σμένειν

επον διό τις ουαπτολῶν, Heb. 7. 26. excitavit à mortuis , & in gloriam introduxit: ideo homines peccatores , qui in multis labuntur omnes , & qui remissione peccatorum quotidiana opus habent, & quorum prestantissimis operibus nævi sui adhærent , similiter excitare tenetur. Cum nemo secundum hanc hypothesin ad illam filii gloriam aspirare possit, qui non eandem cum illo viam calcaverit. Alter argumentatur Apostolus Rom. 8. 11. *Si Spiritus ejus qui excitavit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum à mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora vestra per habitantem ejus Spiritum in vobis.* Tribuit Spiritui Christi , quem cum illo communem habemus , resuscitationem corporum nostrorum, quod abolito peccato, nos ad veram justitiam refingat, ex qua certissime consequatur vita.

20. Tandem hæc immortalitas non aliter proponitur , quam merces obedientiæ nostræ, ex qua non aliter  
conse-

consequatur, quam ex hac legis formula, fac, & vives. Licet enim Deus nobis perfectius per os Christi exposuerit, quoniam sint revera justa, & rationi congrua; atque insuper in persona ejus representarit majores causas, quam unquam antea, existimandi rerum hoc modo præceptarum functiones, parituras fructum facientibus eas, proposito præmio ei, quicunque eas exequeretur, vita æterna, & dato pro arrha ipso Christo excitato à misera morte ad felicem vitam: Tamen eriam sine illis promissis & eorum exquisita cognitione, dummodo præcepta serventur, nobis constare vitam, affirmare non erubescunt. Ut revera nihil plus illis efficiatur, quam ut illis magis confirmemur, & in decurrentia alacrius via illa majori studio nos exerceamus. Cæterum non minus certo nos per observationem Legis Mosis, atque etiam per notitiam insitam faciendi quod justum & rationi conveniens est, ad immortalitatem aspirare, & tandem pervenire,

quam

quam per ipsa præcepta Christi. Sic quidem ut supervacaneum sit cogitare de his , quæ Christi personam attinent, una cum iis omnibus quæ Christus pro nobis fecit, & facturus est, quatenus per ea justificari velimus , dummodo pie vivamus , & mundanis cupiditatibus valedicamus , Socin. de fide & operibus. Quod certe nihil aliud est , quam juxta fœderis legalis formulam vitam ambire , faciendo quæ sunt legis & Euangelii. Quod prorsus est enervare fœdus gratiæ , quod in melioribus promissis sancitum , & dat quod jubet , & præstat quod promittit. Cum hic à nobis & nostra obedientia omnia magis dependere statuamur , quam à Christo ipso , qui à nostra vel obedientia , vel inobedientia circumscribitur , ut promissa sua vel impleat , vel non præstet. Cum nec vitam nec justitiam nobis ullo suo facto aut passione sit promeritus sed solam vicariam operam fingit præstare Patri in remunerandis obedientibus , & puniendis refractariis.


21. Ha-

21. Hactenus ideam quandam  
Theologiæ Socinianæ *as εν τύπῳ* ef-  
formavimus, ex qua, quis ejus sit sco-  
pus quo collineat, nobis innotesce-  
ret. Unde constare possit, esse ido-  
lum rationis humanæ, & naturalis  
Theologiæ typum, omnibus homini-  
bus attemperatum, omnium errorum  
& hæresium *πανδοχεῖον*, Scripturæ e-  
masculationem, & sensus ejus & stylı  
deformationem, fœderis gratiæ ab-  
negationem, & in fœdus operum  
commutationem. Vix ut Christianis-  
mi titulo se tueri inter Christianos  
possit, cum verum Deum essentia  
unum, personis trinum negat, ex Chri-  
sto θεωπωπῳ facit ψλὴν αὐτοπτήν, O-  
mni merito, dignitate & axiomate  
spoliatum, Jesu & Christi nomine in-  
dignum, Mose non multo sublimio-  
rem, & Legislatorem illo multo infe-  
riorem. Qui talem immortalitatis  
viam ostenderit, ad quam ipse suis vi-  
ribus non potuerit aspirare nec per-  
venire, & quam nemo sibi polliceri  
possit


possit nisi sub conditione perfectæ obedientiæ, cuius nemo, nisi qui se ipse fallere vult, sibi conscientia esse queat. Denique quæ nemini placere possit, nisi Immanuelis hostis audire velit, & cui nihil sapit nisi quod novum est & à recto tramite abducens.

F I N I S.







Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
224 F 22